

[804r]

**Nomen proprium Floris Nazarei,  
ex amicitiae lege „amicus alter ego“  
innocentiae flosculo Edmundo  
ad salutarem usum olim factum commune,**

hodie in theatrum translatum ibidemque exhibitum  
a Perillustribus, Praenobilibus ac Ingenuis adolescentibus rudimentistis  
in academico gymnasio Soc. Jesu Pragae ad S. Ignatium  
anno 1740, mense Junio, die 1.

#### ARGUMENTUM

*Edmundus pietatem in Deum, quam cum lacte materno hauserat, etiam cum Parisiis extra pientissimae parentis oculos cum fratre literis navaret operam, assidue coluit. Qvare ab Eo, cui deliciae sunt esse cum filiis hominum, tantum gratiae consecutus est,*

[804v]

*ut Edmundo suo spectabilis factus Divinus Pusio, ipsum docuerit sanctissimum Nomini Sui usum longe saluberrimum. Ita fere Magnum speculum exemplorum, verbum lusus, exemplum 7.<sup>a</sup>*

#### PROLUSIO

*Flos Nazareus candidus et rubicundus miseratus Florem innocentiae, eo qvod mun-dum vel ipso nomine redoleat, aeqve atqve alios vanitatis flosculos a caeca Libitina olibano fere destinari, Amoris Divini consilio legem amicitiae „Amicus alter ego“ am-plectitur; e qva illum sibi aliunde concolorem nominis sui charactere odoreqve insignit, in caelica subinde Tempe transplantandum.*

---

<sup>a</sup> Major: *Magnum speculum exemplorum*, s. 437.

[805r]

## INDUCTIO I.

*Edmundus, assignatum a Paedagogo scriptionis argumentum de Jesulo concinnaturus,  
prius ad capellam concedit, ubi eidem laborem suum consecrat.*

Edmundus:	Argumentum: <sup>b</sup> „Nato parabis Jesulo cliens torum Rosisqve liliisqve consternes sinum Tenere adamantis pectoris.“ O, omni labor Prae melle dulcis! O Didascale! Dii <sup>c</sup> virum Ament! Amoris gustui optatum diu Praedulce praebes pabulum! Cordis fibras Nervosqve cunctos in opus intendam, ut probem, Qvam molliusculo, suävi, florido Roseoqve lacteoqve reclinem velim Cubare cordis lectulo puppum meum. Sed qvid valemus, caelitum aspiret nisi Votis Favonius? Nihil. Proin juvat Opem rogare fervida ipsius prece, Qvi mihi futurus carmen et amoris labor. Philothee!
5	
10	
15	
Philotheus:	Salve Edmunde, qvae te huc curae agunt?
Edmundus:	Qvid notus hospes postulem? Nosti, putem.
Philotheus:	Visine nondum Caelici es Nati satur?
Edmundus:	Ah, memore nullus rapiet ex animo dies! Theatrum amoris, qvod aede struxisti sacra, <sup>d</sup> Fave, revisam paululum!
20	
Philotheus:	Pii placet Ardoris aestus. Fruere deliciis tuis, Me cura Larium <sup>e</sup> plurima aliorum vocat.
[805v] Edmundus:	O Pusio favo composite! Qvin Parthenii E flore lactis deque venarum rosis! Dilato sedem corculi, huc hospes veni! Vis omnis animae ruet in amplexum Tui! Sed nempe, nondum est incolae tanto pari Ornata sedes tegmine, aulaeis vacat Tibi placituris. Ardeo dignam Tuo Aulam parare Numini; hinc, prout solet Ars architectrix, prototypon calamo prius
25	
30	

<sup>b</sup> Slovo *argumentum* metricky nepatrí do verše. Stejně viz v. 55.

<sup>c</sup> Metricky vychází jako jedna slabika.

<sup>d</sup> Metricky nejasný verš.

<sup>e</sup> *Larium*, méně obvyklý tvar gen. pl. od *Lares, um, m.*

35

Umbrabo tabula. Ducito rudem manum,  
 Divine terrarum Artifex! Dicta modum!  
 In prata Paesti, Adonidis in hortos leves  
 Ibunt per auras vota, fragrantes petam  
 Stacte tabernas, Gangis e littore legam,  
 Qvot uniones conchulae matres tegunt.  
 Laxabo habenas, qvidqvad ingenio valet,  
 Totum ex amoris profluet fusum sinu!  
 Magistrum adoro, basio tenellam manum.

40

## INDUCTIO II.

*Dum indictum argumentum Edmundus incumbit, habet lateri suo assistentem personatum Pusionem Jesulum, sibi auxiliantem.*

- |    |              |   |
|----|--------------|---|
|    | Florimundus: | Corvi, tabellas rapite! Qvis mentem qveat<br>Tacitam Magistri consevqi? Obscuris nimis<br>Arcana sensa prodidit, demens, notis.               |
|    | Edmundus:    | Qvae te ira, Florimunde?  |
|    | Florimundus: | Nisi mihi fers opem,<br>Mitto Minervae nuncium.   |
| 45 | Edmundus:    | Caelo facem   |
|    | [806r]       | Deposce, frater, auxilii.   |
|    | Florimundus: | Id feci qvidem,<br>Et tamen aqua haeret.  |
|    | Edmundus:    | Erige animum; qvod qveo,<br>Commune fratri lumen e meo dabo.<br>Resume pennam, repele Musaei otia.<br>Spondes juvamen?                        |
| 50 | Florimundus: | Crede germana fide,   |
|    | Edmundus:    | Qvae sensa desuper influent, in te lubens<br>Libensqve derivabo. Nosti, qvod te amem!   |
|    | Florimundus: | Ergo haesitanti commoda promptus manum.   |
|    | Edmundus:    | Tibi dicatum promove, o Jesule, metrum!   |
| 55 | Florimundus: | Argumentum: „Nato parabis Jesulo cliens torum.“<br>Cui nato? Ubi? Qvam ancipite divexant caput<br>Haec pensa sensu. Unde ordiar? Nullus scio. |

---

37 Qvot] Qvod NP.

- Edmundus: Jesule! Stramineis pro delige corcula cunis,  
Ornabo miris carnea tecta modis.<sup>f</sup>
- 60 Jesulus: Dic „candida“, nive lucis aeternae petit  
Candor nitere pectora.
- Edmundus: Imo sic canam:  
Ornabo ardenti candida tecta nive.<sup>g</sup>
- Florimundus: Est tortor hic labor ingenii! Edmunde! Nec apex  
Occurrit, unde stamen ordiri strophae
- 65 Qveam! Peto, extrema unius fili in metrum  
Concede.
- Edmundus: Cedam, phasma qvo irriterem, pace.<sup>h</sup>  
Jesule! Stramineis pro delige corcula cunis,  
Ornabo ardenti candida tecta nive.
- Florimundus: Bene est. Recondo propriam in tabulam metrum.
- 70 Edmundus: Parthenia argento superabit lilia virtus:  
Aurea cordis erit bractea Divus amor.<sup>j</sup>  
„Rosisqve liliisqve“. Qvomodo hoc? Rosas  
Unde? Unde lilia? Somniat vernos agris  
Ridere flores hyeme fors Didascalus.
- Jes. et Edm.:<sup>i</sup> Edmunde! Spinis expedi ingenium meum.  
Florimundus: Qvid sibi rosae? Quid lilia?
- 75 Edmundus: Haec variae typus,  
Virtutis haec sunt symbola.
- Florimundus: Eccujus? Doce.
- Edmundus: Rosa est ad umbram ingenuus in honesti rubor,  
Lilia piaculo mentis illimis nitor.<sup>k</sup>  
Si bracteare cupimus aurato sinum  
Animi metallo, amor istius subeat vices.
- 80 Florimundus: Jam teneo filum. Sic fluet tandem metrum:  
Plurima nostro candida verinent lilia corde:  
Sint sine spinis pectoris imis munera Paesti.<sup>l</sup>  
Fronte verecunda carpam violasqve rosasqve,
- 85 Edmundus: Florida non spernes, Jesule, strata, scio.<sup>m</sup>  
Jesulus: Non sic, cubare in liliis pasci que amat.

<sup>87</sup> pasci que] apisci que NP.

<sup>f</sup> V. 58–59 elegické distichon.

<sup>g</sup> V. 62 pentametr.

<sup>h</sup> Pace – imperativ indikativu od pacere, arch. tvaru pro pangere.

<sup>i</sup> Jes. et. Edm. = Jesulus et Edmundus.

<sup>j</sup> V. 70–71 elegické distichon.

<sup>k</sup> V. 78–79 metricky nejasné.

<sup>l</sup> V. 83–84 hexametr.

<sup>m</sup> V. 85–86 elegické distichon.

- Edmundus: Non sat videtur blandulum. Sic volo sonet:  
His pasci, haec inter, spero, cubare volet.<sup>n</sup>
- 90 Florimundus: Eja, teramato clausus est puncto labor!  
Edmundus: Tibi gratiarum, Jesule, rependo vices,  
Cujus sacratus fluxit auspiciis labor!

### INDUCTIO III.

*Adest nuncius a matre, literas et cum linea supellectile cilicia bina afferens. Succenset matri Florimundus, exultat Edmundus.*

- Paulillus: Evax! Heruli, adest avibus optatus bonis  
Nuncius et, ut reor, aurea a matercula  
95 Munuscula affert; nam onere sub anhelat gravi.  
Florimundus: Dicit Verona se advenam?  
Edm. et Flor.:<sup>o</sup> Huc subeat, jube.
- Nuncius: Avete, matris corcula!  
Florimundus: Qvid armos gravat?  
Edmundus: An agit amata rebus incolumis parens?  
Nuncius: Faveto, laxem sarcinam.  
Florimundus: Qvid hoc latet  
100 Nuntius: Sub involucro? Hoc oppido arridet mihi.  
[807r] Florimundus: Valet et valere puppulos belle jubet  
Amata genitrix hisqve maternis frui  
Donis peroptat sospites.  
Florimundus: Tu paginam  
Decurre, dum ego, qvid hocce sub tegmine rei  
105 Latitet, avidus excutio.  
Edmundus: „Multiplex salus  
Fonte a Salutis. Cura filioli mea  
Amorqe matris unicus! Habete e penu,  
Ut nostis, angusta, inope, qvo nervis subin  
Leviter refectis, Palladi gnavam dare  
Pergatis operam. Jungo, qvo ornate simul  
110 Liceat subire publicum, linum decens.  
Placete civibus afforis. Sed velim mage  
Oculis placere Numinis mentis nive.  
Hanc agite, setis aspera incincti latus

<sup>n</sup> V. 89 pentametr.

<sup>o</sup> Edm. et Flor. = Edmundus et Florimundus.

- 115                      Servate zona, qva sine rebellis caro  
                           Insontis atrat facile candorem sinus.  
                           Date hoc amori Jesuli, cui rigor  
                           Pungentis olim straminis mollis loco  
                           Fuerat cubilis. Monita matris vivete et  
                           Valete.“
- 120                      Florimundus:  
                           Qvid sibi pilosus hic thorax?  
                           Qvid zona aculeis horrida? An cingat manus?  
                           An crura? An humeris defluat torqvis loco?  
                           Heu me, hac echinus veste spinosus latet!  
                           Apage! Culice qvam plurimo mordax malum!
- 125                      Edmundus:  
                           Florimunde! Pagina melleis verbis scatet.  
                           Florimundus:  
                           Ita, verba mellea. Dona sed spinis rigent.  
                           Insana mater mulier!  
                           Edmundus:  
                           Heus! Reverentiam  
                           Habe parentis.
- 130                      Florimundus:  
                           Ut quid horrenti rubis  
                           Setisqve amictu vestit? Ita amari putem  
                           Natos? Probasset, qvod amet, argenti sono.  
                           Haec mihi talentis potior est auri cyclas.
- [807v]                 Edmundus:  
                           Florimundus:  
                           Habeto. Jure muneris cedo mei.  
                           Edmundus:  
                           Fratrem beasti! Sed quid in reciproci  
                           Vis reddi amoris tesseram?
- 135                      Florimundus:  
                           Revochet salus.  
                           Edmundus:  
                           Optime virorum, robur enervi via  
                           Restitue calci. Dum otia soluto mihi  
                           Ludo redibunt, pauculis penna celer  
                           Reditum morabor.
- Nuncius:  
                           Crastino huc referam gradum.

#### INDUCTIO IV.

*Signo campanae ad scholam vocante, obvii Cosmophilus aliiqve sodales mirantur maestitiam Florimundi, hilaritatem Edmundi. Pars sodalium dona matris probat et laudat, pars Florimundo in querelas consentit.*

- 140                      Charinus:  
                           Campana resonant aera, qveis<sup>p</sup> suos vocant  
                           Musae in labores.  
                           Cosmophilus:  
                           Vae gradu tardis!

<sup>p</sup> Qveis, arch. tvar abl. pl., klas. qvibus. Metricky zde nutno počítat jako jednu slabiku.

	Charinus:	Luent
		Pro more.
	Alanus:	Stimulare monitu Edmundum juvat.
	Musulus:	Edmunde!
	Rosillus:	Florimunde! Comitari lubet
		Ludum petentes.
	Edmundus:	Nexuit moram mihi
		A matre cursor advena.
	Charinus:	Et gratusne adest?
145	Edmundus:	Implevit animum gaudio. Strenam tulit, Qvam pluris auro facio.
	Cosmophilus:	Videamus.
	Omnes:	Fave.
	Edmundus:	Favebo.
	Florimundus:	Vah! Tristem auribus scholae sonum! Comitari ovile Tityro malim comes, Qvam ludum adire.
	Charinus:	Florimunde! Qvo gemens
150		Maeroris ageris sidere?
	Alanus:	An scholam metus Reddit perosam?
	Musulus:	Forte pensa, qvae feras, Neglecta cruciant?
	Florimundus:	Pensa securum sinunt.
	Rosillus:	Fors aura patriae tristior venit polo?
	Florimundus:	O me noverca natum!
	Rosilus:	Animi ego ulcus frico.
155	Cosmophilus:	Sed laeta frons contrarium Edundi docet.
	Edmundus:	En, chara Achatum pectora, ut sancto parens Gnatos beavit munere!
[808r]	Florimundus:	Qvid amens palam Jactas? Novercae potius odia, qvam probae Dicas parentis dona.
	Edmundus:	Contemptum cave, Florimunde, matris!
160	Florimundus:	Verbo abest injuria, Vult nos supremum morte paeverttere diem.
	Edmundus:	Phantasma loqveris. Cernite, sodales, pia Qvam sit voluntas matris; ut sancte cupit

- Nos temperare absynthio, qvidqvad vafra  
 Offert voluptas sensui mixtum favo.  
 165 Charinus: His sanctitatis Bruno depingi notis  
 Consvevit, arbitror.  
 Cosmophilus: Asperum vitae genus  
 Haec arma gestat.  
 Alanus: Asseclam Christi decent.  
 Musulus: Ita. Si cui aetas triplicat callo cutem.  
 170 Rosilus: Qvis usus oro, Edmunde?  
 Ch. una:<sup>q</sup> Qvis zonae modus?  
 Edmundus: Hoc latera circum baltheo, hac humeros premam,  
 Pro torqve utrinque defluia. Hunc usum puto.  
 Cosmophilus: Nudone figes corpore?  
 Musulus: Avertant Dii!  
 Edmundus: Nudissimo, inquam, et conscio solo Deo.  
 175 Rosilus: Id quidem ego, nisi delirus, haud facerem.  
 Musulus: Minus  
 Ego.  
 Charinus: Qvin ego ipsus indui hac optem, licet  
 Horrente spinis, cyclade.  
 Alanus: Idem ego sentio.  
 Florimunde! Matrem basiis centum cole,  
 Qvae tam salubri filios dono beat.  
 180 Edmundus: Audisne, frater?  
 Florimundus: Audio sani parum  
 Sensum cerebri. Sinite, socieni, choro  
 Natos cucullato, hilare nos vitae genus  
 Aetate vivere florida e genio decet.  
 Edmundus: Florimunde! Temnis monita genitricis?  
 Charinus: Joco  
 185 Edmundus: Haec dicta fundit. At! Hem! Secundo jam strepit  
 Aeris scholaris nola.  
 Edm. et alii:<sup>r</sup> Rumpamus moras.

[808v]

## INDUCTIO V.

*Pensa scholastica exhibentibus conscholaribus, Edmundus excellit specimine literario,  
 qvocirca in praemium ceream Jesuli effigiem sortitur.*

- Paedagogus: Labor labore seqvitur ac rursus nova  
 Animus revolvit studia, prout scholae ducis  
 Solertia petit. Eja, Palladia cohors!

<sup>q</sup> Ch. una. = Charinus una.<sup>r</sup> Edm. et alii. = Edmundus et alii.

- 190                    Feres laboris praemium; si spei satis  
                       Fecisse nostrae video et operi statas  
                       Tribuisse partes temporis. An audes palam  
                       E mente dicere conscia, horarum nihil  
                       Dempsisse furto in ludicra, qvod uni fuit  
                       Dandum Minervae?
- 195                    Omnes:                      Sedulo e jussu tuo  
                       Horis statutis sedimus.  
                       Edmundus:                  Adjeci duas.  
                       Alanus:                       Ut polypus haesi pulpito.  
                       Paedagogus:                Praestantia  
                       Operis laboris testis impensi mihi  
                       Sufficiet unus. Pendite tributum scholae.  
                       Videbo, digna an praemiis, an paena erunt,  
                       Qvae pensa fertis. Caetera in votis meis  
                       Est praemiare singulos. Victor feret  
                       Perrara dona, spondeo.
- 200                    Edmundus:                O utinam Deus!  
                       Victoris ego sorte potiar!  
                       Omnes:                       Utinam ego qvoqve!  
                       Paedagogus:               Videte, pro Narcissulo hoc scholae fuit  
                       Mavorte agendum. Dabitur hoc dono frui,  
                       Qvisquis laboris optimum specimen dabit.  
                       Charine, metra claudicant. Alane, ohe!  
                       A lege nostra devias. Fuscule, pudor!  
                       Qvae haec literarum forma? Num tibi has notas  
                       Gallina scripsit?
- 210                    Fusculus:               Penna seduxit manum.  
                       Paedagogus:               Rosille! Non sic, sensa confundis mea.  
                       Opinonis nullius nostrae labor  
                       Respondet hactenus. Sed Edmundi lubet  
                       Solertia explorare.
- [809r]
- 215                    Edmundus:               Menda detege,  
                       Errata plecte, Didascale, ut mereor, feri.  
                       Paedagogus:               „Jesule, stramineis pro delige corcula cunis,  
                       Ornabo ardentи candida tecta nive.“  
                       Belle metro hoc, Edmunde, blandiris. Placet.  
                       Edmundus:               Lilia rosasqve pariter innexuit amor.

- Paedagogus: „Parthenia argento superabit lilia virtus,  
Aurea cordis erit bractea Divus Amor.“  
Bellissime, nitide, auree versus fluunt.  
Edmundus unus, ut puto, palmam rapit.  
„Fronte verecunda carpam violasque rosasque.  
His pasci, haec inter spero cubare volet.“  
Qvis ausit aeqve floridum scripti genus  
Tractare?
- Florimundus: Nostri ponderes opus velim  
Laboris, erit hoc forte vix pretio minus.
- 230 Paedagogus: Tibi frater herbam porrigat? Agam, qvod petis.  
„Jesule, stramineis pro delige corcula cunis.“  
Heus! Florimunde! Versus hic furtum sonat!  
„Ornabo miris carnea tecta modis.“  
Sat gratiose! Laudis est dignum metrum.
- 235 „Plurima nostro candida vernali lilia corde,  
Sint sine spinis pectoris imis munera Paesti.“  
Ohe! Quid hoc, Florimunde? Pro genio tuo  
Haec dissolute saltitant. Non, non meres  
Prae fratre qvidqyam. Denique Edmundi labor  
Pergratiosus ingenii palmam et statum  
Unus meretur praemium. Donum cape.
- 240 Edmundus: Gratus benignas basio Magistri manus.  
Paedagogus: Quid nubilosa fronte et obliquo feris,  
Pubes, sodalem lumine? Invidia flagras?  
Sedito, simili pensa fac scholae feras  
Ornata studio, praemio ornabo pari.  
Nunc faveo ludis otio et honesto vaces.

[809v]

**INDUCTIO VI.**

*Nonnulli sodalium invidi Edmundo prava consilia cudunt, ut illum praemio suo spoli-  
ent. Florimundus pactus cum iisdem de mercede, recipit se facturum, ut voti compotes  
fiant.*

- Amentius: Ergo unus Edmundus? Simus naso puer  
Scholae Imperator audiet?
- Higinus: Patimur scholae  
250 Grillum eminere?
- Rosillus: Perfacile palmam rapit,  
Cujus secundat doctior Martem manus.

- Musulus: Id pridem odorabar. Scio, ingenio rudi  
Est caetera Edmundus. Nisi alieno bibat  
E fonte metra, nauseam e proprio creent  
Petita.
- 255 Amentius: Inane qverimus, eripere licet  
Iniqva praemia.  
Higinus: Licet absqve scrupulo.  
Rosilus: De jure nostra est palma.  
Amentius: Qvin imo mea.  
Noctes diesqve in studia mergebam caput  
Unqvesqve nostrum carmen amorsos sapit  
Et spes laboris omnis in puteum cadat?
- 260 Musulus: Absit sodales dici inertiae reos.  
Qvid ad haec pater? Materve?  
Higinus: Mitte inutiles  
Aestus qverelae. Prompta, qvae certo probes,  
Consilia pandam.  
Rosilus: Qvae illa?  
Una cum M.:<sup>s</sup> Pande et maximum  
Animo tulisti gaudium.
- 265 Higinus: Qvid est opus  
Bile asperare pectora? Est facile manum  
Falcemqve mittere in alienam messem. Opus  
Arte, arte modica, cuncta cui venalia  
Et absqve nummis.
- Amentius: Furta meditaris, puto.  
Pfuj! Furta non licent, strategemata licent.  
Florimundus in partem, scio, laboris lubens  
Concedet.
- 270 Rosillus: Ille? Vix putem, ut fratrem velit  
Fraudare.  
Musulus: Qvid? Oculos, modo qveat, eruet.  
Amat ille, amat fratrem, velut catum canis.
- 275 Rosilus: En ipsus!  
Florimundus: Eja, turba sociorum, cito,  
Pilae in palaestram! Qvas trahitis aegri moras?  
Amentius: Bene dicis, aegri bile commota sumus!  
Florimundus: Qvis civit in nares?  
Omnes: Tuus frater, tuus.  
[810r] Florimundus: Corvi africanulum! Hic mihi qvoqve in ulcere,

<sup>s</sup> Una cum Musulo.

		Hic ungvis haeret. Inde, qvo justo levem Maerore mentem propriam, qvalem tulit Sinistra sors scholaris, in lusum ardeo.
	Higinus:	Malim in medelam conferas Consum tuum.
	Amentius:	Stat praemiatum fallere.
	Rosillus:	Arte, non manu
280		Furace.
	Florimundus:	Vultis, exuam accepta icone?
	Omnes.	Hoc vota spirant.
	Florimundus:	Sinite, mox lusum dabo, Huic natus arti.
	Musulus:	Plena sed res est metus.
	Rosillus una:	Res est pericli plena.
	Florimundus:	Sit licet, favet
285		Occasio et causae aeqvitas, facile exequivar.
	Musulus:	Sed arte qvali, amabo, vis mentis tuae Explere placita?
	Florimundus:	Proximum Edmundus diem Constituit hilarem, Jesulo cunas simul Exstruere poscit. Facile nobis hoc modo In spolia cedet.
	Omnes:	Sed prius dicta modum, Ducem seqvemur.
290		Igitur induere placet Larvas dolosas simul et horrificas. Fugam Edmundus una cum suis capiet.
	Higinus:	Placet
	Florimundus:	Profecto, Florimunde, consilium tuum.
295		Nil ergo restat amplius fraudem nisi In opus redigere. Pergite, sodales mei, Primus ego fraudulentia initia construam.
	Omnes:	Seqvimur vocantem. <sup>t</sup>

### CHORUS

*Symbolice in roseis exhibet Juventutis indolem non aequaliter caelestium gratiarum in fluxus excipientium. Nam: Haec largo matura die saturataque vernis roribus indulget spatio, latet altera nodo nec teneris audet foliis admittere soles. Claudianus.<sup>u</sup>*

<sup>t</sup> Neúplný verš.

<sup>u</sup> Claudianus, *Epithalamium de nuptiis Honorii Augusti*, v. 250–253.

[810v]

## INDUCTIO VII.

*Edmundus dono Paedagogi tempori accommodo pro genio suo usurus cum probioribus Jesulo praesepium adornat. Coram quo ipse, cilicio forte praecinctus, deliciis caelestibus affluit.*

- |     |                        |   |
|-----|------------------------|---|
| 305 | Edmundus:              | Divine Puppe! Saccharo et merissimo<br>Composite melle, cordis ambrosia reples<br>Mihi palatum. Ah! Pectoris laxa seras!<br>Disrumpe claustra, viribus potens Amor!<br>Vix tutiore collocem hoc arca decus. |
| 310 | Alanus:                | Edmunde! Committe fidei meae. Est mihi,<br>Qvam ferra circum circulis ternis ligant,<br>Arcula, tuo ibi favebo deposito locum.  |
| 315 | Edmundus:              | Absit! Revellet nemo Te nostra e manu,<br>Jesule!   |
|     | Filindus:              | Fave saltem, apprimam amplexu meo<br>Hunc Pusionem pectori.   |
|     | Edmundus:              | Nec hoc qvidem.<br>Colas, favebo, basio; ut premas, cave.   |
|     | Sincerinus:            | Ut labra blandula explicat risu puer!   |
|     | Filindus:              | Ut est ocellis gemmeus!   |
|     | Filindus: <sup>v</sup> | Roseus genis!   |
|     | Sincerinus.            | Ut frontis ebore lacteus.   |
|     | Filindus:              | O! Amor merus<br>Vivusqve vultu promicat.   |
|     | Filindus:              | Dignum para,<br>Edmunde, torulum parvulo.   |
| 320 | Edmundus:              | Haec praesens mihi<br>Est cura princeps. Ast ubi, qvaeso, locem?  |
|     | Alanus:                | Dixi locellum.  |
|     | Edmundus:              | Non placet. Nam optem qvidem<br>Tuto recondi, ita tamen, ut pateat simul<br>Dissaviandus saepius.   |
|     | Filindus:              | Adorna torum,<br>Qvalem ipsus olim in Bethlehem adamavit specu.   |
| 325 | Edmundus:              | Non practicanda consulis. Nam nummi ubi?<br>Consilia mentem, Edmunde, subeunt. Huc vide!  |
|     | Alanus:                | Nunqvid theatrum scenicum haec rupes refert?<br>Bene concava, aptum nonne praesepi locum?<br>Extemporales struimus hic cunas, fave.   |

312 Filindus] Filius NP.

323 Dissaviandus] Dissvaviandus NP.

<sup>v</sup> Zřejmě chybně uvedené jméno postavy. Stejně viz v. 323.

- 330 Filindus: Consilia probo, namque ulla materies joco  
Vix esse amoenior queat.  
Edmundus: Sed ubi Paris  
Daphnisve pastor?  
Filindus: Et ubi adoratur rudis  
[811r] Asellus? Et ubi bosculus?  
Sincerinus: Choraulae ubi,  
Qvi metra caeli concinant?  
Alanus: En! Commode  
335 Adsunt sodales. Numerus hic par scenae erit.  
Omn. 3 sod.:<sup>w</sup> Qvis lusus animos recreat?  
Edmundus: In votum trias  
Venis sodalium.  
Sodalis 1: Cura qvae socios tenet?  
Edm. et Alan.: Sociare lubeat studia. Peramoeno joco  
Stat fallere horas.  
Sodalis 2: Jungimus manum, refer.  
340 Edmundus: Praesepe viva imagine erigere lubet.  
Alanus: Stant apta scenae saxa, nil ultra super,  
Nisi ille personatus ut pastor, alius  
Indutus alis Angelum, alius ut bovem,  
Alius asellum fingat.  
Edmundus: Ego, qvem gero sinu,  
345 Ponam colendum puppulum.  
Omnes: Lusus placet.  
S.1, Sin., Fil.:<sup>x</sup> Partire munia.  
Edmundus: Jurgiis ne sit locus,  
Satius agemus sorte.  
Alanus: Mature mones.  
Consigno titulis calculos.  
Omnes: Tantum cito!  
350 Alanus: Daphnis. Menalcus. Tytirus. Bos. Angelus.  
Asellus. Angelus. Angelus. An aeqvat scheda  
Numerum?  
Filindus: Unico est inferior.  
Edmundus: In censum ego  
Venire non desidero, partes agam  
Cultoris arae.  
Alanus: Ergo bene. Sortiri licet.  
Cosmophilus: Daphnis ego.

<sup>w</sup> *Omn. 3. sod.* = *Omnes 3 sodales*.

<sup>x</sup> *S.1, Sin., Fil.* = *Sodalis 1, Sincerinus, Filindus*.

	Alanus:	Ego Angelus.
	Charinus:	Menalca ego.
	Gratianus:	Qvid ego?
355		Jo! Sum asellus.
	Filindus:	Ego Angelus.
	Sincerinus:	Et ego qvoqve.
	Filindus:	Ego Tytirus.
	Amandus:	Ohe! Bosculum me sors facit.
	Alanus:	Nunc agite qvemqve concolor sorti tegat Amictus.
	Edmundus:	Ego devotioni congruo Accingar habitu.
360	Cosmophilus:	Adeste, qvisqve qva decet Statione scenam subeat! Huc Menalca, ibi Tytire; locum hunc ego, Daphnis. Angeli chori Suprema teneant. Boscule, cum asello latus Praesepi occupa.
	Edmundus:	Medio amatus cubet Divinus Infans.
	Cosmophilus:	Resonet angelicum metrum.

[811v]

**INDUCTIO VIII.**

*Pie occupatum Edmundum Florimundus cum aliquot monstroso larvatis sodalibus fugat et cereum Jesuli simulacrum surripit.*

365	Florimundus:	Heus! Huc sodales! Tempori in fraudem adsumus. Ut scena pulchra luditur!
	Amentius:	Ut odem chorus, Imitatus aetheris aulicos, dulcem canit!
	Dementius:	Irruimus!
	Amentius:	Animo tempera! Lento juvat Terrore mentes aggredi. Ursorum sonet
	Florimundus:	Murmur, ululatu mixtum.
370	Cosmophilus:	Hic unde sonus? Qvid hoc?
	Florimundus:	Ferte propriorem, at laneum ut feles, pedem. Intendite prius murmur.
	Filindus:	Heu! Soci! Grege Obruimur ursorum, aut luporum. Juverit Fuga salutem qvaerere.

---

355 qvoqve] qvqve NP.

	Charinus:	Edmunde! An nihil
375	Audis?	
	Edmundus:	Sinite, Numinis tegimur manu, Sancta otia Stygis invidus turbat furor. Repetite carmen, Angeli.
	Florimundus:	Fragor solum Concutiat.
	Filindus:	Haud fero amplius Averni minas, Fugio!
	Florimundus:	Irruimus.
	Omnes:	Heu, monstra!
	Edmundus:	Latebris condite
380		Caput, sodales!
	Florimundus:	Cessit e voto labor. Heus, turba socia! Pristinos, posito dolo, Referte vultus. Sorte terfausta diu Cupita tulimus spolia.
	Omnes:	Num praedam tenes?
	Florimundus:	Blandissimam, videte.
	Omnes:	Vive! Jubila, Strategi!
385	Amentius:	Multa corda moerore relevas.
	Dementius:	Nunc plaudat Edmundus sibi.
	Musulus:	Nunc jactitet
	Higinus:	Palmas iniqvus victor. Est tritum metrum,
	Florimundus:	Qvod parta iniqe, pessime elabi solent. <sup>y</sup>
390	Rosillus:	Sed jura cuius vendicent spolia sibi? Primo occupantis sunto.
	Florimundus:	Nulla me rei Hujus cupido stimulat, est satis mihi Fraudasse germanum. Insuper plenissima Res est pericli; namque si nostris tegam Haec furta Laribus, facilis haec casus ferat In fratris oculos! Vae cuticulae meae! Ergo experiri sorte cuius sit, lubet.
[812r]	Rosillus:	Lubet experiri.
	Omnes:	At Victor argento, sciat, Mea jura compensabit.
	Florimundus:	Id juste petis.
	Dementius:	

<sup>y</sup> Male parta, male dilabuntur, římské přísloví. Srov. Cicero, *In Marcum Antonium oratio philippica 2, 65.*

- 400 Musulus: Redhostiam per fas nefasque, clepere  
Esto aera matri debeam.  
Higinus: En ebur quadrum!  
Ordire tu.  
Amentius: Eja, Mercuri, manum rege!  
Bono omine decem nigrat ocellis ebur.  
Dementius. Spem inter metumque trepidu. Vah! Casum nimis  
Nobis sinistrum!  
Higinus: Cede, dexter mihi salit  
405 Oculus, bonum praesagio jactum. Me Hercule,  
Sum victor! Atris obsita est alea notis.  
Numera.  
Amentius: Dii te ament! Sinu exturbor spei,  
Bis quinque signis superior es uno meis.  
Musulus: Nondum tamen spes omnis erecta est mihi.  
410 Fortuna, nobis calculum in palmam rota!  
Vah! Ossa monocula.  
Higinus: Eja! Mihi debet lucrum.  
Florimundus: At moneo, senos solve,  
qvos albos vocant.  
Higinus: Augebo pretium septimo.  
Amentius: Infaustum mihi  
Illuxit hodie sidus!  
Dementius: Ducibus infaustis gradum  
415 Huc avibus attuli.  
Musulus: Sinistro ego pede  
Exisse lecto videor.  
Florimundus: Mittite querelas. Sat est,  
Qvod re potimur. Paulus habeat an Petrus?  
Qvid inde?  
Higinus: Achates optimi! Mentem subit,  
420 Qvod fors rapinae solus ego habebor reus,  
Si prodar.  
Omnes: Anxio hoc fuga ex animo metus.  
Florimundus: Non est, oriri parte qva furti queat  
Suspicio.  
Higinus: Prodet nemo?  
Omnes: Juramus fidem.  
Florimundus: Nunc fronte qva damna sua germanus feret,  
Notare juverit. Dividi in partes opus.

[812v]

## INDUCTIO IX.

*A terrore se recolligens Edmundus, memor depositi sui in praesepio, se suosque ad redeundum animat. Sed thesauro suo Divino illic non reperto, in amaras lacrymas solvitur.*

- 425      Edmundus:            O terror! Error acerbe, qvam me saucias!  
                       Ubi cera? Amati dulcis effigies mei?  
                       Obliviosus terror haud sivit moras,  
                       Ut signa sancta tollerem. Ah, oblivio  
                       Infausta! Qvid si aut cessit in praedam lupis,  
 430                                Aut sparsa membris cereis icon jacet?  
                       Alane! Sincerine! Vel qvisqvis prope es  
                       Fuga reliquus, adeste!
- Alanus:                        Nunc latebra sinunt  
                       Prodire spectra?
- Sinc. et alii:                An hoste vicinia vacat?
- Edmundus:                    Silet nemus. Et esto fremitu ut prius strepat,  
 435                                Temno pericla, mortis in fauces ruo,  
                       Praedonis ut manu eruam pignus meum.  

Alanus:                        Audebis hoc imbellis?

Edmundus:                    Amor omnia potest  
                       Audetqve.

Filindus:                     Sed qvid si auferat vitam latro?

Edmundus:                    Aliunde parte maxima allata neqvit  
 440                                Auferre totam. At Numini curae sumus,  
                       Resumite animos. Jesuli qvisqvis flagrat  
                       Syncero amore, vadat heroo comes  
                       Nostros in ausus pectore.

Omnes:                        Imus.

Alanus:                        Si prior

Edmundus:                    Dux in pericla graderis.  
                       Hac frontem sacra

445                                Pectusqve tutus aegide officio ducis  
                       Fungar animose.

Gratianus:                    Sed tamen ab armis simul  
                       Robur petendum.

Edmundus:                    Sumite armorum genus,  
                       Qvod lubet, ego spem in Numinis totam loco  
                       Protectione.

Gratianus:                    Hac ego machoera, sit Gigas,  
 450                                Hostem trucido.

- [813r] Amandus: Fistula hac ego eminus  
 Edmundus: Totas phalanges dissipo.  
              Ergo me duce  
              Subite saltum.
- Omnes: Heu! Fugite! Sese armant novae  
              In nostra larvae capita.
- Edmundus: Leporinum genus!  
              Siste, qvid inani territet metu, vide.
- 455 Medea: Cede mihi frondem.  
 Xantippe: Haud cedo, prior ego manu  
              Frustum prehendi.  
 Medea: Prior ego prehendi, tace,  
              Mendacia vomis.
- Xantippe: Tu, tu oles mendacia!  
 Pfug! Bellua Orci!
- Medea: Pfug! Gehennalis scropha!  
 Non cedis?
- Xantippe: Animam, Tartari neptis, vome!  
 Non cedo!
- 460 Medea: Depecto crine verticem.  
 Xantippe: Ego oculos  
              Evello prior, inferni amasia!
- Medea: Soror  
 Plutonis!
- Xantippe: Ossa Cerberi!  
 Medea: Nurus Stygis!
- Xantippe: Non cedis?
- Medea: Ignes Jupiter caelo vibret,  
 Non cedo.
- Xantippe: Amurca Acherontis, ulula Tartari,  
              Urbis cloaca, Proserpinae ectypon, canis,  
              Vipera, venefica edentula, in centum cruces  
              Abi! Vorago sorbeat Averni luem!
- 465 Edmundus: Est bina, qvae se jurgiis lacerat anus.  
              Domicella, meritis pariter atqve annis gravis,  
              Placare.
- 470 Xantippe: Qvid me crabro malefaustus petis?

- Edmundus: Mitesce paulum, huc sacra lusus in pios  
Simulacra parvi Numinis hodie dedi.  
Nescis, qvis errore abstulerit?
- Xantippe: Improbè puer!  
Harpyia tibi sum? Non vides, qvos legeram  
Fungos?
- 475 Edmundus: Morior angore! Deposito locus  
Vacat relicto.
- Alanus: Forte decidua jacent  
Sacra signa rupe.
- Filindus: Abscondita aut dolo latent.
- Sincerinus: Sed en, propinqvat lignifer. Amice virum  
Contare.
- 480 Filindus: Ave, vir optime! Remoto venis  
E nemore pini bajulus?
- Rusticus: Herule mi! Procul,  
Ex umbilico nemoris.
- Edmundus: Umbrarum nihil  
E Styge laborem terruit?
- Alanus: Nullus latro?
- [813v] Rusticus: Hos ego silentes in dies lucos peto  
A puero, inoffenso indies redii pede.
- 485 Edmundus: At mihi rapaces corvus, aut milvus sacra  
Hinc signa Numinis abstulit.
- Rusticus: Ego, qvod sciam,  
Nihil, Tonantem testor.
- Sincerinus: Ignarum rogas.  
Valeto.
- Rusticus: Vos qvoqve.
- Auceps: Insolens bipedum genus!  
Qvo vos latratu incondito mihi nemus?
- 490 Edmundus: Moderare bilem.
- Alanus: Nullus intenso strepit  
Clamore.
- Auceps: Pubes insolens! Volucrum gregem,  
Qvi lina jamjam subiit, egisti in fugam.
- Filindus: In innocentes inveheris.
- Auceps: Abi ocyus,  
Luco qvietem redde! Si secus, lucra  
Amissa verbere plurimo solves mihi.
- 495

	Alanus:	Immite pectus hominis!
	Sincerinus:	Ut verbis tonat!
	Filindus:	Ut fastuosus increpat!
	Edmundus:	Id ego viro
		Ignosc facile. At ubi meus Amor? Ubi? Hoc truci
		Intima dolore lancinat. Vitam latro
500		Rapuissest ante, lenius ferrem necem.
	Alanus:	Lacrymas refraena, Edmunde!
	Omnes:	Par socios dolor
		Tangit animos.
	Filindus:	Sed fide, qvod hodie tulit,
		Coelo jubente crastinus reddet dies.
	Omnes:	Id impetrare precibus et votis lubet.

### INDUCTIO X.

*Florimundus cum sodalibus, ut se apud perqvam moestum Edmundum suspicione furti eximant, fucata familiaritate ad lusum invitant.*

	Higinus:	Nondumne lusae fabulae effectus liquet?
	Amentius:	Id Florimundus noverit. Certum puto
		Sensu doloris intima Edmundum sua
		Re lancinari perdata.
	Rosilus:	Eminus mihi
		Est lacrymari visus et singultibus
510		Pectora moveri.
	Musulus:	Id ego qvoqe notavi. Gemit.
[814r]	Florimundus:	Est versa, socii, scena.
	Omnes:	Qvi Edmundus valet?
	Florimundus:	Qvi nuper impotente saliit gaudio,
		Hodie solutus naeniam in fletum canit!
	Amentius:	Ecqvem rapacis sceleris accusat reum?
515	Florimundus:	Haud scire licuit. Reducis alloqvium mei
		Furto impedivi.
	Musulus:	Non probo. Facilis subit
		Suspicio mentem, criminis qvod sis reus,
		Timore si, qvem fraude laesisti, fugis.
	Florimundus:	Nil suspicatur.
	Musulus:	Satius ast fuerit tamen
520		Fucata amicitia tegere lusi doli
		Reatum.
	Higinus:	Id optimum.

519 suspicatur] Susplicatur NP.

- Florimundus: Ergo sociati Lares  
                   Adite nostros. Byssina doloso fluent  
                   Ab ore verba et condolentis casui  
                   Et provocantis in hilares fratrem jocos.  
 525     Omnes: Bene est. Serena fronte concordes agent  
                   Fucum sodales.
- Florimundus: Frater! Attonitum ferit  
                   Situs gementis. An aegritudo robore  
                   Exhaustus artus?  
 Edmundus: Ah! Animo inhaeret malum!  
 530     Florimundus: Nil, Florimunde, constat? Ut me fors nimis  
                   Infausta damno perculit?  
                   Qvid ita?  
                   Edmundus: Nihil,  
                   Florimundus: Quid icona sacra Jesuli factum mei?  
                   Edmundus: Fors fragile signum periit allisum solo?  
                   Rosilus: Ah! Pejus aliquid!  
                   Edmundus: Picea fors tetigit manus?  
                   Florimundus: Ah! Memore mente vulnus infandum novas!  
                   Edmundus: Ecquis rapace vultur hoc ausus manu?  
                   535    Edmundus: Nescio.  
                   Omnes: Dii hominem!  
                   Florimundus: †Prode sis†, frater, scelus  
                   Edmundus: Hac vindicabo dextera.  
                   Edmundus: Nescio virum.  
                   Musulus: Non sinet inultum, credite, hoc facinus Themis.  
                   Florimundus: Excute dolorem. Spe interim mentem leva  
                   540    Higinus: Rursus fruendi perditio.  
                   Edmundus: Et nobis comes  
                   Edmundus: Sociare conjucantibus.  
                   Edmundus: Gustum joci  
                   Florimundus: Amaritudo praepedit, qva implet dolor!  
 [814v]    Edmundus: Saltem ergo modico tempera absynthia favo!  
                   I, nostro amori cede!  
                   Edmundus: Sit, qvod amem, vide.  
                   Florimundus: Ecqvod paratis edere jocorum genus?  
                   Edmundus: Super vireti gramine artifici lubet  
                   545    Hilarinus: Certare chorea.  
                   Edmundus: Chloridis risus amo.  
                   Hilarinus: Animate plectris barbita! In saltum sonent.

---

543 tempora] tempora NP.

- 550 Edmundus: Spectabo molli cespite qviescens pedum  
Flexum et reflexum.
- Florimundus: Sat choreis est datum.  
Nunc ordiamur textili lusum globo.
- Higinus: Sed ampliora spatia deligere juvat.
- Rosilus: Hoc latere sese campus aperit.
- Florimundus: Huc, socii.
- Edmundus: Edmunde! Lubet una?
- 555 Edmundus: Date veniam, hic loci  
Praestoler hilaritate saturos.
- Florimundus: Ut lubet.

### INDUCTIO XI.

*A ludentium consortio dolore amissi Jesuli inquietus Edmundus discedit. Affectui doloso simul et amoroso indulgenti Jesus se ipsum praesentem et agnoscendum praebet, relichto documento, ut adversus terrores ipsius mortis sacro titulo frontem muniat: „Jesus Nazarenus“.*

- 560 Edmundus: Vah! Vana mundi gaudia! Insipidos favos,  
Qvosqvos voluptas condit arte vel levi  
Prognata sensu! Mitior nihilo dolor  
Inde cruciat. Qvousqve perditio sinum  
Circumfero vacuum Jesulo, plenum gero  
Absynthio animum! O, blanduli effigies mea  
Deusculi! Thesaure mi! Species Tui  
Qvoties recurrit phasmati, toties novo  
Cor verberatur spiculo! Ah! Qvis Te mihi?
- 565 Jesulus: Edmunde, salve!
- Edmundus: Qvis me hic hospes?
- Jesulus: An tibi  
Ignota fronte loquimur?
- Edmundus: Ignosce! Haud scio  
Vidisse qvondam.
- Jesulus: At semper adamasti tui  
Vicissim amantem.
- Edmundus: Qvomodo? Haud scio te in scholae  
Vidisse numero.
- Jesulus: Qvid ais? An nunqvam tuo  
Me haesisse lateri senseras?
- 570 Edmundus: Nunqvam, fide,  
Mihi crede, dico candida, nunqvam scio  
Vidisse.
- [815r]

- 575      Jesulus:                Et ego tibi candida dico fide,  
                 Edmundus:        Edmundo Achates haeseram qvovis loco.  
                 Tune aut Rosillus? Ipsus aut frater meus?  
                 Hos jungere, unum dexterae, laevae alterum  
                 Solet Magister.
- 580      Jesulus:                Fratre magis Edmundum amo  
                 Edmundus:        Fideliorqve tibi adfui.  
                 Ludis jocum.  
                 Apertius loqvere, ignibus miris calent  
                 Flammata verbis pectora, o hospes, tuis.  
                 Nondumne noscis?  
                 Frons, oculi et oris rosae,  
                 Linqvae charis, te Jesulo amisso (o dolor!)  
                 Similem loqvuntur. Te eligo sodalem meum,  
                 Tantum fatere nomina.
- 585      Jesulus:                Et spondes fidem?  
                 Edmundus:        Spondesqve amorem?  
                 Si cupis, juro! Trahis  
                 Captiva amore corda, ut unum te velim.  
                 Ergo exarata fronte mea nomina lege.  
                 O Jesule! O Divine! Tu ad me! Tu Aethere  
                 Hospes?
- 590      Edmundus:            Trahebas qvestubus amoris potens!  
                 Ut invenires, praestiti. En me, praesto sum!  
                 Superas amore vota, nam unum metui,  
                 Illudqve cereum ectypon, casu (o dolor!)  
                 Sublatum, id unum tenuit anxium.
- 595      Jesulus:                Scio.  
                 Haec cura amoris meruit, ut verum darem  
                 Spectare vultum.  
                 Edmundus:        Adoro Numen! O mi Amor!  
                 Nec satis. Adhuc pallido a vanis metu  
                 Larvis tremiscis?  
                 Edmundus:        Omnis ex animo metus  
                 Moerorqve totus fugit. Ambrosia reples  
                 Nectareqve inundas pectora.
- 600      Jesulus:                Ergo qvo nihil  
                 Posthac, minae sint mortis aut terror Stygis,  
                 Trepido timore vexet, hoc scutum (nota)  
                 Oppone, sive cum toro attolles vigil  
                 Membra in labores, sive cum repetes torum,  
                 Sacrae memento, ut imprimas titulum crucis:

- Edmundus: „Jesus Nazarenus, Rex Judeorum“<sup>z</sup>  
**[815v]** O amor! At ubi? Qvo subitus ex oculis fugis?  
 Mi amor! Qvis egit in fugam? Qvis Te meis  
 Eripuit oculis? Ah redi! Ah redi, mi amor!
- Amentius: Qvid hoc? Qvis ore vesteque ignota puer  
 Blanditur Edmundo?
- Higinus: Vultus est homine magis  
 Multo venustus.
- Rosilus: Florimunde, cito huc! Cito!
- 610 Florimundus: Qvid me vocas?
- Rosilus: Qvis hospes Edmundo comes?
- Florimundus: Peregrina forma est juvenis, est Caeli decor.
- Musulus: Quid hoc?
- Amentius: Ut ore blandus est supra modum.
- Ros. ad Flor.:<sup>aa</sup> Fronte radiat spiratque Divum habitu genus.
- Florimundus: Est Genius aliquis Caelitum missus choro.
- 615 Higinus: Vae mihi, qvi iniquus jura violavi ita pii  
 Caeloque chari!
- Florimundus: Vae mihi, authori dol!
- Higinus: Restituo totum penitens, qvidqvid tuli.

### INDUCTIO XII.

*Id eminus notantes arbitri consolades, poenitudine tanguntur invidiae in Edmundum eidemque in pietatis societatem, deprecata culpa sua, se offerunt.*

- Amentius: Edmunde! Qvae te cura?
- Musulus: Num nostrum petis  
 Anhelus affatum?
- 620 Edmundus: Ah aliis me tenet  
 Ardor avidum! Nemo obvius vultu nitens  
 Incurrit oculos?
- Nemo.  
 Nemo.
- Amentius: Ah qvam dolet  
 Nullo valedicto hospitem aethereum meos  
 Fugisse vultus!
- [Sodalis ] 2:  
 Edmundus: Aethere allapsus tuos  
 Dignatus oculos?

**608** Higinus] Higinus NP.

<sup>z</sup> Tento nápis není verš, proto ho nečíslujeme. Podobně viz stejný nápis mezi v. 643–644.

<sup>aa</sup> Ros. ad Flor. = Rosilus ad Florimundum.

- 625      Edmundus:                Et quidem ipse Amor meus,  
                         Divinus Infans. O, qvam ab infuso natant  
                         Dulcore corda coelico! O, gustum qveam  
                         Partiri ab hausto nectare!
- 630      Musulus:                Qvis adeo potens  
                         Magnes in humiles traxit affatus Deum?  
                         Placuere vota, lacrymae et cordis faces,  
                         Amissa qveis simulacra cerea qvaesii!  
                         O mite Numen! Vota superstasti mea!  
                         Qvo coluit hospes munere allato Polo?  
                         Effare totum.
- [816r]    Edmundus:                Florimundus id sciat,  
                         Oportet.  
                         En me!  
                         Florimunde, utinam!  
                         Refer,  
                         Qvo jubilo corda saliunt?
- 635      Edmundus:                Fratercule mi!  
                         Qvem qvaesii, ipsus Jesulo aspectu Sui  
                         Dignatus Edmundum.  
                         Attonas frater pia  
                         Dignatione Numinis. Tantus tibi  
                         Qvid hospes?
- 640      Edmundus:                O mi! Caelico mentem favo  
                         Cordaqve reliquit ebria.  
                         Qvid ultra?  
                         Dedit
- 645      Florimundus:                Documenta memori mentis et cedri sinu  
                         Inaranda. „Mortis,“ inquit, „ut temnas minas,  
                         Haec signa fronte perfreqvens sacra imprime:  
                         Jesus Nazarenus, Rex Judeorum.“  
                         O frater! O amor Numinis! Qvam, o qvam pudet!  
                         Edmunde, pedibus paenitens sternor tuis!  
                         Qvis, Florimunde, gemitus? Et qvis hic tuus  
                         Fletus, sodalis?
- 650      Uterqve:                Parce! Parce reis!  
                         Edmundus:                Solo  
                         Erigere, frater. Culpa qvaenam in me reos?  
                         Uterqve:                Ah nos nefandi! Maeror et dolor tuus  
                         Nos impia manus.  
                         Higinus:                Recipe (sed veniam dabis?)  
                         Sacra fulta miserens, recipe. Parcis?

642 inquit] iniqvit NP.

- Edmundus: Poplitem  
Humo leva.
- Florimundus: Non qvestibus justis petes,  
Meritas reos Magister in poenas trahat?
- Edmundus: Charissima capita, mittite timorem. Luam  
655 Ante ipsus infamis mala et poenam crucis,  
Qvam vindicantis dexteram in amatos vocem.
- Florimundus: Edmunde, amabis fratrem?
- Edmundus: Amare desinam  
Nunqvam.
- Omnes: Sodales faedus in tuae sinis  
Pietatis ire?
- Edmundus: Gaudeo, laetor! Tua  
660 Exempla per virtutis erudiar, cohors!

### EPILOGUS

*Monet juventutem, ut si de Divinae cum Flore Nazaraeo amicitiae fructu participare desiderat, rubore verecundiae (qvi e sententia Aristotelis pulcherrimus color est et e mente Diogenis virtutis color) et candore innocentiae concolor esse manereqve studeat.*